dass der Kalk im Pflanzenkörper als Nährstoff im strengsten Sinne des Wortes auftritt und dass ihm keineswegs eine solche Gleichgültigkeit für das Leben der Pflanze zukommt, wie diess von der Kieselsäure mehr oder weniger gilt.

Bonn, den 9. Januar 1862.

Circa Parmeliam colpodem. Scripsit W. Nylander.

A scriptore adversario et argumentis contra me qualibuscunque avido allatum fuit (in Flora 1861, p. 636), „melius interdum esse antiquas servare diagnoses, quam novas conscribere demonstrat descriptio Nylanderiana *Anziae colpodis* ut jam (Flora 1861 Nr. 25) demonstravit celeberrimus Stizenberger." Sic graviter citata demonstratio Stizenbergiana (tanti pretii auxilium infortunio praebens!) me omnino forsitan fugerat, nisi strepitu istiusmodi pronuntiata fuisset; citationis igitur fontem adii, et statim hac etiam vice videre licuit inanitatem jactantiae solitam magistri intrepidi infaustissime cogniti. De eo autem hic non agitur, sed de D. Stizenberger, de quo auctore mox observem, eum saltem quandam scriptorum meorum cognitionem exhibere, quod in schola Massalongo-Koerberiana rarum est; immo nuper vidimus (in Flora 1861, Nr. 33, illud animadverti[1]), a D. Koerber de litteratura lichenographica (praesertim recentiore) opiniones plane absonas fabulosasque strenue emissas fuisse.

Animadvertit l. c. D. Stizenberger (hoc sistit criminationem vere gravissimam!), me in *Syn. Lich.* I., p. 404, *Parmeliam colpodem* Ach. describentem speciei assignavisse thallum „albidum vel pallide albidum", quod praeclarissimo Doctori Badensi haud placet et praeferret Acharii „pallido-virescentem." Ita demonstratur vix dubie „melius esse diagnoses antiquas servare!" Vel quid esse possit manifestius? In memoriam solum reducere liceat, Acharium describere lichenes statu humido, me autem

[1]) Inter alias res ibi a me in historia Koerberiana praetermissas, et quae castigari forte mererentur, memorentur ex. gr. verba „seit Montagne schweigt." Auctorem sic scribentem in Japonia habitare crederes, nam botanicis vulgo constat, cl. Montagne quovis adhuc anno scripta cryptogamica et lichenographica edere. Auctoritatem suam ita D. Koerber res lichenographicas judicandi modo singulari stabilivit.

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr05977-0073-0

dass der Kalk im Pflanzenkörper als Nährstoff im strengsten Sinne des Wortes auftritt und dass ihm keineswegs eine solche Gleichgültigkeit für das Leben der Pflanze zukommt, wie diess von der Kieselsäure mehr oder weniger gilt.

Bonn, den 9. Januar 1862.

Circa Parmeliam colpodem. Scripsit W. Nylander.

A scriptore adversario et argumentis contra me qualibuscunque avido allatum fuit (in Flora 1861, p. 636), „melius interdum esse antiquas servare diagnoses, quam novas conscribere demonstrat descriptio Nylanderiana *Anziae colpodis* ut jam (Flora 1861 Nr. 25) demonstravit celeberrimus Stizenberger." Sic graviter citata demonstratio Stizenbergiana (tanti pretii auxilium infortunio praebens!) me omnino forsitan fugerat, nisi strepitu istiusmodi pronuntiata fuisset; citationis igitur fontem adii, et statim hac etiam vice videre licuit inanitatem jactantiae solitam magistri intrepidi infaustissime cogniti. De eo autem hic non agitur, sed de D. Stizenberger, de quo auctore mox observem, eum saltem quandam scriptorum meorum cognitionem exhibere, quod in schola Massalongo-Koerberiana rarum est; immo nuper vidimus (in Flora 1861, Nr. 33, illud animadverti[1]), a D. Koerber de litteratura lichenographica (praesertim recentiore) opiniones plane absonas fabulosasque strenue emissas fuisse.

Animadvertit l. c. D. Stizenberger (hoc sistit criminationem vere gravissimam!), me in *Syn. Lich.* I., p. 404, *Parmeliam colpodem* Ach. describentem speciei assignavisse thallum „albidum vel pallide albidum", quod praeclarissimo Doctori Badensi haud placet et praeferret Acharii „pallido-virescentem." Ita demonstratur vix dubie „melius esse diagnoses antiquas servare!" Vel quid esse possit manifestius? In memoriam solum reducere liceat, Acharium describere lichenes statu humido, me autem

[1]) Inter alias res ibi a me in historia Koerberiana praetermissas, et quae castigari forte mererentur, memorentur ex. gr. verba „seit Montagne schweigt." Auctorem sic scribentem in Japonia habitare crederes, nam botanicis vulgo constat, cl. Montagne quovis adhuc anno scripta cryptogamica et lichenographica edere. Auctoritatem suam ita D. Koerber res lichenographicas judicandi modo singulari stabilivit.

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr05977-0073-0

lichenes siccos. Ceteroquin de gustibus disputare parum sum propensus; adscribat colori thalli ejus D. Stizenberger elementum subtile quoddam virescens, si ita lubet. Quali magni momenti rei sic lux affertur! Et quid non eo modo demonstraretur? Quam commodum est „diagnoses antiquas" transcribere et quam facile tali methodo opera prolixa conficiuntur! At verendum est, ne progressus scientiae tum negligatur vel haud exprimatur.

Neque vult D. Stizenberger; apothecia *Parmeliae colpodis* dici (Nyl. l. c.) „fere mediocria." Observem ea esse mediocria, si cum apotheciis comparantur systematico respectu vicinae *Parmeliae taeniatae* (cui sunt latitudinis pollicaris) et ratione habita magnitudinis thalli. In speciminulo ab Achario descripto (in herbario ejus asservato) apothecium maximum latitudinis est 6 millimetrorum. Sed mox addam, D. Stizenberger haud vidisse eam veram *colpodem* Acharianam et meam typicam, at solum (ex specimine Tuckermaniano) *cristulatam* Ach. In hac, quae modo varietas sit *Parmeliae colpodis*, apothecia quidem majora sunt et sporae quoque majores; atque in *cristulata* conspexi etiam apothecia aliquando usque latitudinem 12 millimetrorum adtingentia. Anne hoc quoque momento D. Stizenberger demonstravit, „melius esse antiquas servare diagnoses?"

Quod demum ad sporas adtinet, in *Parmelia colpode* Ach. eae vulgo sunt sicut l. c. indicavi; vidi autem etiam majores leviter curvulas (longit. 0,008—9 millim., crassit. 0,0025—0,003 millim.), et sic quidem aliquando in specimine archetypo herbarii Achariani. In *cristulata* Ach. (ex specimine archetypo hb. Ach.) sporae sunt oblongo-fusiformes vel breviuscule fusiformi-cylindraceae arcuatae, vel etiam bis (utroque apice sensu opposito) arcuato-flexae (leviter spirali-flexae), longit. 0,012—14 millim., crassit. 0,0045 millim.

Animadvertam adhuc, pharaphyses in diagnosi Stizenbergiana memorari, sed revera nullae tales verae adsunt, nec nisi tubuli paraphysoidei earum loco conspiciuntur in substantia thalamea corneo-gelatinosa hyalina. Ita accuratiori examini res pateat. Forsan hoc aliquantulum demonstret, „melius esse, ante datae definitioni rite attendere.

Notare supra oblitus sum, maxime insignem obvenire in commentario Stizenbergiano (p. 392) observationem: „Was ist nicht alles weisslich in der Welt (und dann meistens auch blass-weiss-

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr05977-0074-6

lich)!“ Talis observatio absque dubio suo modo sagacitatem auctoris demonstrat.[1])

Nachträge und Verbesserungen
zu
„Horti, malabarici clavis nova“, von Dr. J. K. Hasskarl.
(Fortsetzung.)

49. L. Sp. I. et II. (976), opponente DC. Prdr. III. 59, 9; G. Don Dichl. II. 696, 9; — L. diffusa Hmlt. DC. Prdr. III. 59, 7; G. Don Dichl. II. 696, 7; Pritz.; — Jussieua suffruticosa L. (3062); Dennst. cf. DC. l. c. 58, 51.

50. Jussieua erecta L. (3063) cf. DC. Prdr. III. 55, 23.; G. Don Dichl. II. 693, 25; — J. villosa Lam. sec. Dennst. (cf. DC. l. c. 57, 41; G. Don Dichl. II. 695, 51.); Wlprs. Rprt. II. 72, 2. α; — J. suffruticosa L. sec. Pritz.

51. L. (3058); Wlp. Rprt. II. 71, 1; DC. Prdr. III. 54, 14; G. Don Dichl. II. 692, 14; — Pritz.

52. L. (2979?, ubi perperam P. Tongeram scriptum est); Wlp. Rprt. I. 816, 39; Pritz.; — C. Tagera L. (2960); — C. occidentalis L. α. Sophera Vogel.

53. DC. Prdr. II. 494, 50; G. Don Dichl. II. 439, 19; Wlp. Rprt. I. 817, 48; — C. Tagera L. sec. Dennst.; — C. Tora L. Pritz.

54. R. et S., Syst. IV. 427, 17; G. Don Dichl. IV. 90, 42; DC. Prdr. VIII. 373, 60 (pess.); Pritz.; — Nerium coronarium Jcq. teste Wlld. cf. L. (1709, Obs.)

55. R. et S., G. Don et DC. l.l. c.c.; Pritz.; — A. DC. l. c. hanc tabulam perperam „fl. pl.“ significat.

56. L. (1499); R. et S. Syst. IV. 563, 15.; Wlp. Rprt. III. 34. not. 1.; DC. Prdr. XIII.1. 413, 2.; G. Don Dichl. IV. 446. 18.; Pritz.; — C. sinense L.? sec. Dennst.

---

[1]) Circa genus *Anstam* Stizenb. animadvertere liceat, facillimo negotio (notae praesto sunt et pauca demonstranda restant) genera peculiaria creari e subdivisionibus meis generum, et quidem sunt hae divisiones saepissime magis naturales quam genera Massalongo-Koerberiana solita. De pondere characteris e thecis polysporis sumto videatur. Tul. *Sel. Fungor. Carpol.* p. 222., 223.

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr05977-0075-2

ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: Flora oder Allgemeine Botanische Zeitung

Jahr/Year: 1862

Band/Volume: 45

Autor(en)/Author(s): Nylander William

Artikel/Article: Circa Parmeliam colpodem 71-73